

Samuel Schelwig

**Ex Decreto Magnifici Amplissimique Senatus Gedanensis, Solennem
Introductionis Actum, Quo Vir Nobilissimus, Excellentissimus Et Consultissimus,
Dominus Samuel Fridericus Willenbergius, Brega-Silesius, J. U. D. Longe
Dignissimus, ... More Consveto Admovebitur, Indicit ; Ad Eumque Rei Literariae
Patronos, Fautores Et Amatores, Quo Par Est Cultu, Studio Et Afectu, Invitat**

Gedani: Stolle, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817810285>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label on the spine]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



65 Apr 76
I. N. D. N. J. C.
EX DECRETO
MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE

SENATUS GEDANENSIS,
SOLENNEM INTRODUCTIONIS ACTUM,

quo
VIR

NOBILISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS ET CONSULTISSIMUS,
DOMINUS

SAMUEL FRIDERICUS
WILLENBERGIUS,

BREGA-SILESIUS,

J. U. D. LONGE DIGNISSIMUS,

EJUSDEMQUE HACTENUS IN ACADEMIA FRANCOFURTANA
PROF. PUBL. EXTRAORDINARIUS,

D. XXVII. JANUARIi MDCCi. APUD NOS
JURIUM AC HISTORIARUM PROFESSIONI PUBLICÆ AC ORD.
ITEMQUE INSPECTIONI ATHENÆI,

MORE CONSVETO ADMOVEBITUR,
INDICIT;

AD EUMQUE

REI LITERARIÆ

PATRONOS, FAUTORES ET
AMATORES,

QUO PAR EST

CULTU, STUDIO ET AFFECTU,
INVITAT;

JUVENTUTEM VERO MUSIS NOSTRIS ADDICTAM

PERAMANTER CONVOCAT,
ATHENÆI RECTOR

SAMUEL SCHELGUIGIUS,

S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ITEMQUE
AD SS. TRINIT. PASTOR.

G E D A N I,

Imprimebat JOHANNES-ZACHARIAS STOLLE,
ATHENÆI TYPOGRAPHUS.



Uanta Legum inter homines necessitas sit, Valerius Maximus quadantenus prodit, scribens: *Ut corpora nostra sine mente; sic civitas sine Legibus, suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris uti non potest.* (L. 3. c. 9.) Tametsi enim Principis, eorumque, quibus in Republicâ potestas summa competit, voluntas pro Lege sit; oportet tamen hanc illis innotescere, quibus obsequii gloria relinquitur, ut quid agendum sibi vel omittendum sit, cognoscant: quod ipsum, quando Magistratus promulgando, sive præconis voce, sive scripto exequitur, Lex vocari solet. Hinc Lex Ciceroni est, *recti præceptio & pravi depulsio.* (L. 2. de Nat. Deor. c. 31.) Senecæ autem: *Justi injustiq; regulâ.* (L. 4. de Benef. c. 31.) Cum quo Thomæ Aquinatis descriptio convenit: *Lex est regula & mensura actuum agendorum, vel omittendorum.* (2da 2dæ qu. 90. art. 2.) Miserrimam subditorum conditionem esse, qui subortis de jure litibus, ex Legum, ad judicem non minùs atque ad judicandos pertinentium, defectu, ab arbitrio affectibus obnoxio, causæ decisionem expectant, illud Aristotelis indicat: (L. 3. Polit. c. 10.) *Lex dominari debet, non homo, in quem cadunt animæ perturbationes, videlicet amor, ira, odium, invidia, metus, vindictæ & munerum cupido, & quæ his similia sunt.* Ex adverso, ubi contentio ex Legibus dirimitur, verissimum est, quod Philosophus alibi inquit: (L. 5. Ethic. ad Nicom. c. 6.) *Non sinimus imperare hominem, sed rationem.* Cæterùm in plerisque civitatibus primùm Leges feruntur & breves & paucae; sed intumescente eorum, qui regendi sunt malitiâ ac versutiâ, pedetentim augentur; ita ut tandem mole suâ oneri magis, quàm usui sint, præsertim sicubi, quod Tacitus quondam dixit, locum obtinere cœperit: *Corruptissimæ Reipublicæ plurimæ Leges.* (L. 3. Ann. c. 27.) Mirandum sanè, quòd Danicarum Legum codex*, quem Rex gentis Christianus V. anno M. DC. XXCIII. publicavit, atque D. Henricus Weghorst anno M. DC. XCIIIX. Latiniâ veste indutum recudi fecit, tertium, ut vocant, alphabetum, non adeò multùm excedat. Minor eò est liber Statutorum Moschoviticorum, jussu & autoritate Czaris Alexii Michaëlowicz, nostrâ ætate, anno mundi, ex Græcorum supputatione 7156. conscriptus, quem Latiniè versum Augustinus Liber Baro de Mayerberg & Horatius Gulielmus Caluuccius, Leopoldi Imperatoris Romani ad Moschos Legati, itinerario suo annexerunt. Expectandum verò posteris, si qui expectandi sunt, annon futura tempora regnis hisce, necessitatem extendendi libros Themidi sacros, impositura sint. Aliis enim populis haud diu, intra cancellos adeò angustos, consistere licuit. Exemplum luculentum Roma præbet, quæ Legibus duodecim tabularum, prorogatis imperii terminis, contenta esse nequivit. Nam & nova nascebantur delicta, prisca simplicitati ignota, quibus ne latius serperent, novis Legibus via obstruenda erat: & ingeniosa malitia varias excogitabat technas, ut præsentis Leges pravâ interpretatione corrumpere, earundemq; transgressoribus impunitatem pararet; cui morbo remedium videbatur convenientissimum, si antiquæ Leges adjunctis novis dilucidarentur. Ut taceam, quòd cùm

Tempora mutantur; homines mutantur in illis.

* Vocatur in titulò *Danske Lov.*

Unde




Unde hominum causâ subinde quædam in priscis Legibus corriguntur, quædam iis demuntur, quædam adduntur, relictis tamen, propter reliqua, in pretio suo, prioribus statutis. Ex quò non potest non fieri, quin tandem vasta Juris per Leges expressi systemata, sive ut Latini appellant, corpora nascantur. Ostenderem pluribus, quâ id ratione, quò ordine, quò successu, apud Romanos acciderit, nisi, ut exteros taceam, Duumviri amplissimi, Juriumque consultissimi, hoc jam apud nos præstitissent, videlicet Nobilissimus Syndicus Dn. Johannes Ernestus von der Linde, in dissertatione, *de Origine, Libris & Autoritate Juris civilis Romani, &c.* atque post illum prolixiori stylo Magnificus Consul Dn. Joachimus Hoppius, in *Præcognitis Juris universi*, quæ *Commentationi ad Institutiones* nervosissimæ, appendicis in modum, subnectuntur. Quapropter ad Saxones me conferre malo, qui non aliter ac Romani, à principio Legibus oppidò paucis regebantur; quas numero haud parum jam auctas, svasu Hojeri, Comitis Falckensteinensis, *Speculò*, quod vocatur, *Saxonicò*, primùm Latinò, hinc etiam Germanicò idiomate, Eckardus à Repkau inclusit. ** Posthac verò, accedentibus novis constitutionibus, spissum volumen, primæ, ut sic loqui fas sit, quantitatis, quod *Corpus Juris Saxonicum* inscribitur, anno M DC LXXIII. in lucem prodit. Huic, si molem spectes, non adeò multum cedit, collectio Prutenicarum Legum, ex decreto Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, sub Juris provincialis nomine vulgata, anno M DC XXCV. Gallix Regnum, antehac in provincias *Juris scripti & consuetudinarii* distinguebatur; quarum illæ Legibus utebantur Romanis: hæ consuetudinibus, quas majores eorum à Francis, Vandalis, Burgundionibus, &c. acceperant: Jungebantur utrinque constitutiones Regum, quæ cum successu temporis, immensum multiplicarentur, Henricus III. Rex, in conventu ordinum Blesensi, Briffonio aliisque JCTIS id muneris demandabat, ut ex consuetudinibus & constitutionibus, integrum Juris corpus concinnarent. Sed obitus Regis conatum sufflaminabat; donec, qui nunc rerum potitur, Magnus Ludovicus XIV. anno M DC LXVII. edito, qui ab ipsò denominatur, *Codice Ludoviciano*, judiciis in Galliâ exercendis felicissimè prospexit. Nisi spes nos fallit, simile negotium aliquando (utinam sub Serenissimo Rege nostro, Augusto II!) Polonos exercebir. Hactenus enim Sarmatæ, non consuetudinibus tantùm antiquis, sed cum primis etiam statutis & constitutionibus regni nituntur, quas in unum corpus, quoad usque fieri potuit, cum novæ in singulis comitiis fabricentur, varii Scriptores, Johannes de Lasco, Jacobus Prilufius, Johannes Herburtus, Andreas Petricovius & Johannes Januszovius, collegerunt: Compendia

** In Præfat. des Sachsen-Spiegels f. 4. a. legimus: Nun dancket allgemein/dem von Falckenstein/ der da ist Graff Hojer genannt / daß an Deutsch ist gewandt / dies Buch durch sein Bete / Eck von Repkau es thâte: Ungern, er es ankam / da er aber vernam / so groß des HErren Gere / da hat er keine Wehre: Des HErren Lieb ihn gar überwan / daß er des Buches began / das ihm war viel unbedacht / da er es in Latein hatte bracht / ohn Hülf und ohn Lehre / da daucht ihn das zuschwere / daß er es in Deutsch wante / zu lezt er es doch geante / die Arbeit und thâte / Herren Graff Hojers Bete.

pendia verò ex illis & promptuaria, quæ vocant, ac inventaria, aut indices & fosciculos, revocatis ad capita sua disperfis Legibus, Paulus Sczerbic Latinè; Marcianus Matthias Ladowski & Albertus Madalinski Polonicè, Theodorus Zawacki in utrâque lingvâ, concinnarunt, eoq̄ue ipso, ut auguror, exoptando Juris Polonici, in debitum ordinem publicâ autoritate redigendi, corpori, quodammodò præluserunt.

Atat quò dilabor? Charta me deficeret, si Leges ex Legibus prognatas, per omnes Europæ tractûs conquirendæ atque Juris corpora, aut quomodo-cunque vocentur, quæ inde pullularunt, describenda forent. Aliud Magnificus, Amplissimusq̄ue Reipublicæ Gedanensis Senatus negotium mihi imposuit, ex celeberrimâ Marchiæ Academiâ ad nos vocato, Viro Nobilissimo, Excellentissimo & Consultissimo, DN. SAMUELE FRIDERICO WILLENBERGIO, Bregâ-Silesiò, J. U. D. atque hæctenus ejusdem inter Francofurtenses Profess. Publ. extraordinario, ut posthac Juris atque Historiarum Professionem Publicam ordinariam ac Athenæi Inspectionem obiret: de quo Viro, scriptis jam celebri, non possumus non lætissima quæque & juvenruti maximè proficua ominari. Sic enim ex indefessâ, quam hæctenus Auditoribus suis alibi probavit, atque tot præclaris ingenii fœtibus auguramur: Quandoquidem non solum super libros ab aliis editos, videlicet bis & tricies ad *Brunnemannii Exercitationes Justinianeas*, itemq̄ue vicies & quater ad *Fuchsianam Paraphrasin Institutionum*, ex Cathedrâ Academicâ auditus est; sed etiam, præter inauguralem Disputationem *de Beneficiis invito datis*, ut Præses argumenta haud proletaria, *de Novatione legali*; *de Prætextu incredulitatis*; *de Stigmate in facie non scribendo*; *de Jure credulitatis*; *de Privilegiò cedentis & cessionarii*; *de Oblatione debiti à possessore pignorum factâ*; *de Abusu insignium Principis*; *de Modestiâ Advocati*; *de Passionibus animi in Judice*; *de Concursu cedentis & cessionariorum*; *de Scientiâ delicti punitâ*; *de Jure Vespillonum*; *de Supplementò Judicis in causis partium*; *de Vasallò epicherecacò*; *de Jure personarum Ducatûs Oppoliensis & Ratiboriensis*; *de Jure Nobilium Ducatûs Oppoliensis & Ratiboriensis*; *deq̄ Testamentis conjugum reciprocis*, publicæ luci exposuit. Ejus itaque introductioni, cùm dies XXVII Januarii, in quò postquam Rector dissertatiunculâ *de Jure Prutenicò*, aditum novo Professori paraverit, ille postea *de Necessitate Jctorum* uberius perorare constituit, ex Patronorum voluntate dicatus sit; utrique, ut quotquot adfuerint, maximi, medioximi, minimi, oculis, auribus, animisque, faveant, hisce eò, quò par est affectu, precamur. Faxit benignissimum Numen, ut prosperrimis initiis compar nunquam non respondeat successus. Foveat Athenæum nostrum! copiâ bonorum quâcunque Gedanum abundet! In pace triumphet Polonia! Sit Regum maximus, qui nos regit, eidemq̄ue cùm, quod iniquissimus Christianorum hostis Diocletianus, rectè apud Vopiscum (in Aurel. c. 43.) censuit, *nihil difficilius sit, quàm benè imperare*; ut optimè & diutissimè imperet, cœlestis benignitas perpetim succollet. PP. Dom. Septuages. M. DCCI.



[Aged paper label on the spine, containing illegible text]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 cebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 uerentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Fridere-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submisit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

